

*niciofa*: estque frequens etiam in epithetis, ut *pallida mors*, *tristis senectus*: secundi *panis* pro *farre* aut *tritico*: tertii, *zonam solvere*, pro *coire*. Sed posteriora duo genera sunt rariora. His duabus formis similis est ea, quae *antecedens* et *consequens* permutat, ut *memorem esse*, pro *gratum se praestare*, *cadere*, pro *interfici*.

325. *Subiectum* laxè admodum in hoc tropo accipitur, ut dicatur de omni re, cui aliquid inest, adest, denique, in quo aliquid occupatur: cui pari latitudine respondet *adiunctum*. Huius formae sunt, cum dicitur *possessor* pro re possessa, *signum* pro *signato*, *tempus* et *locus*, pro re in tempore et loco, qui *versatur* in aliquo obiecto, pro obiecto ipso, et contra. Exempla his respondentia haec sunt: *Claudius* (praedium Cl.) *pependit venalis*, *Gallia* (rex G.) *indignatur*: *apex* pro *sacerdotio*, *metus* pro *pallore*: *dies* pro *iudicio*, *messis* pro *anno vel aestate*: *coelum* pro *Deo*, *angelis*, *sideribus*, *Iupiter*, pro *coelo*: *dux* pro *exercitu*, *leges* pro *iudicibus*.

326. Ex quibus patet, quam varius et multiplex sit hic tropus, quamque fecundus adeo ad locupletandam elocutionem. Ceterum vis eius duplex est. Valet enim et ad ornatum, et ad copiam; sed magis ad hanc. Magis porro a poetis metonymia frequentatur, quam a ceteris scriptoribus: et sunt permulta genera, quae non nisi poetis licet usurpare. Ea quae sint, docebit usus, qui est etiam in hoc genere inconstans adeo, ut saepe in vna forma variet. *Cererem* pro *pane*, aut *Bacchum* pro *vino* dicere, nemo nisi poeta audeat: